



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Locato & Conducto. Consilium CCCXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

tinetur. Instrumenta enim domus à domo quid separatim sunt, l. 1. l. Cum fundus de fundo instructo: ita ut suscepto periculo instrumentorum, non censeatur periculum aedificij susceptum. Etsi enim principale faciliè ad se trahat accessorium, l. Amisti §. fideiussores De fideiusso. huius: accessorium tamen ad se non trahit principale, c. 1. De consecr. eccl. vel ali. Cum aliqui prædicta conventio circa instrumenta braxatoria, tantum pertineat ad deteriorationem, quæ culpâ in illis contingeret; non etiam ad casum fortuitum, aut vim maiorem: qui casus specialiter exprimi debet, d. l. Contrarius & ibi DD. De reg. iur. Quare ex prædictis aliisque in prædictis duobus responsis per multa folia latissimè deductis, cum prædictis Dominis præconfulentibus concludo, sententiam secundum conclusionem Rei in hac causâ ferendam esse.

De Locato & Conducto.

SYMMARIUM.

- Remissio pensionis in conductione.
1. Hospitatio militum est munus necessarium.
2. Conductor an migrare possit propter exercitum hostilem.
3. Remissio pensionis ob bellum quando fieri debeat.
4. Bellum quando reputetur pro casu fortuito.
5. Milites seipos hospitare non debent.
6. Metatorum manuum seu signum nemo delere debet.
7. Miles quando in loco præsidij propriam habet domum in ea hospitare debet.
8. Conductor insolitum casum quando præstat.
9. 13. Conductor an migrare possit propter hospitacionem militum.
10. Conductor migrationem locatori denuntiare debet.
11. Contractui quod inest, inter partes presumitur convenisse.
12. Locator omnem vim conductori præstare debet.
14. Hospitatio militaris infansia.
15. Conductor expelli potest propter exercitum lupanarium.
16. Magistratus factum quandoque pro casu fortuito est.
17. Conductor domum alij locare potest.
18. Idoneus quis dicatur.
19. Idoneus quilibet presumitur.

CONSILIVM CCCXXIX.

DVBITARI posset, an iusta sit hæc Supplicantis petitio, pro remissione mercedis domus, quam conduxit, sed propter Vexilliferum militarem, post conductionem ibidem hospitio exceptum, habitare detrectavit. Nam ut conductor propter supervenientes milites in domo conductâ hospitantes, iustam causam migrandi non habet; † ob id, quod præbendi hospitij militisque in domum sive propriam, sive conductam, aut gratis concessam, recipiendi necessitas sit munus patrimonij rei coherens, l. 3. §. munus D. De muner. & honorib. l. 3. C. de muner. patrim. lib. 10. & ab omnibus, qui speciale privilegium immunitatis non habent, suscipi & sustineri debet, d. l. 3. §. eos milites; à quo etiam munere, in alijs aliqui immunes, exculari non debent, l. fin. §. sive autem De muner. &

honorib. ita quoque iusta & idonea non videtur causa, ob quam conductor detrectare & subterfugere possit ingressum in domum conductam eo hinc, ut ad conventæ pensionis solutionem non teneatur. † Etsi enim conductori iustam migrandi causam præbere possit superveniens hostilis exercitus, l. Item queritur §. exercitus D. Locati propter iustum metum periculi, l. habitatores §. 1. D. eod. non perinde tamen iusta videtur superveniens necessitas hospitandi militis nostri; præsertim illius, qui ad præsidium & defensionem Oppidi missus est, Andr. Alciatus cons. 706. Queritur an facienda sit remissio. Ita ut hæc superveniencia neque locatori ad culpam, quo minus conductori re locatâ uti frui liceat, referri; neque pro vi maiore, aut alio casu fatali seu fortuito impediendo usum rei, reputari debeat, ad effectum vel exonerandi conductorem à pensione, vel faciendæ remissionis illius ex aliqua parte. Potissimum quia supplicans hanc domum conduxerit eo tempore, quo præsidarius miles iam diu in præsidio huius Oppidi collocatus erat, & nihil certius ferè in expectatione esse poterat, quàm necessaria præbitio hospitij militaris. * Nam etsi regulariter propter injurias belli, conductori remissio pensionis fieri debeat, si bellum post conductionem oriatur, l. Ex conducto §. si vñ D. Locati: non debet tamen fieri, si iam exorto ac potissimum flagrante bello, conductio facta sit; ob id, quod conductor cogitare & prævidere poterat, quod ex incommodis belli impedimentum in usu rei conductæ ei supervenire posset; & sic sibi imputare, cur tunc ad conductionem accesserit, Bald. in d. §. si vñ & cons. 267. Si propter guerras vol. 3. Alexan. in l. Interdum §. quod ex naufragio in fine De acquir. posses. decus cons. 312. Licet hactenus sub finem. † Et quæ casu scribit Baldus, ad tit. De pace Constan. in vers. non admittant, & cons. 329. casus talis est nu. 4. vol. 1. ex sententia Cyni, in d. l. Ex conducto §. 1. bellum & belli incommoda non reputari pro casu fortuito, sed pro culpa; quasi scilicet culpæ suæ imputare debeat conductor, qui tam aperte imminenti, imò jam satis apparenti periculo, se exponit, Alex. cons. 112. Videtur in præsent. nu. 4. vol. 1. Socinus cons. 156. pro fundamento nu. 12. vol. 2. & consil. 123. Circa præsentem vol. 4.

Verum exactius rem perpendendo, videtur nobis juri & rationi consentaneam esse hanc Supplicantis petitionem: ob id, quod factum huius hospitacionis seu occupationis dictæ domus, ascribi debeat insolito & inexpectato casui vis maioris, * ex eo, quod hic Vexillifer non ex assignatione & annotatione metatorum, sed propriâ autoritate, seu potius temeritate, non civiliter sed magis violenter hanc domum ingressus sit & occupaverit; cum metatis & epidemiciis milites non pro sua voluntate, sed ex auctoritate eorum, quibus ejus rei cura vel à Principe, vel à republica seu magistratu municipij data est, uti debeant, l. 1. C. De metat. & epidem. & lib. 12. Et quidem tanto maior est hæc impressio & violentia; quod facta & illata sit ab eo, cui per publicos metatores alia sufficiens & idonea domus assignata fuit; & quâ assignatione ac metatione

ratione iam aliquo tempore usus erat, inde se in hanc, quia amplior erat, & speciosum hortum habebat, sua auctoritate propripio: id quod nullo iure ei licuit. † Cum nec hoc liceat militi, ut possit metatoris manum post domum de eius hospitacione inscriptam, delere; multo minus ea derelicta in aliam sine metatione se transferre, d. l. i. C. de metat. & epidemiet. † Quod ne tunc quidem licet militi, cum in loco, ubi metatum ei exhibendum est, propriam domum habet: quia in hac se collocare debet, non etiam in alterius domo hospitium querere. Omnes C. cod. tit. Non enim ad voluntatem & voluptatem militis, neque ad occasionem concussionis inde defumendam: sed ad necessitatem hac res composita est.

Ex qua insoliti huius fortuiti casus, ac vis maioris consideratione facile removetur id, quod paulo ante dictum est de periculo vis maioris ex militari insolentia transferendo ad conductorem, qui tempore belli & praesertim tunc, cum propter praesidii necessitatem miles in Oppidum receptus est domum conduxit: † nam ut id obtinere possit in casibus communibus, consuetis, & communiter accidentibus; non tamen perinde obtinet in casibus insolitis, & ita communiter non accidentibus, Bald. & alij loci supra citati: cum nec eo casu, quo conductor per speciale pactum in se suscepit periculum, imò etiam omne periculum casus fortuiti (ut id iure fieri potest, l. licet C. locati l. si quis fundum d. cod. l. qua fortuitis in fine C. de pignori, act.) sustinere debeat casum insolitum. * Ita enim expresso iure receptum est in emptione & venditione (cujus regulis locatio & conductio consistit, l. 2. d. locati) in qua qui omnem casum vis maioris praestare promittit, non tenetur eum casu vis maioris praestare, qui insolitus est, Glof. in l. fustulas §. ult. d. de contrah. empt. Bart. in l. sed et si quis §. quaestum in fine d. si quis cautionib. Bertrad. cons. 5. Viduo nu. 6. vel. 7. De huiusmodi enim insolito casu actum aut cogitatum non videtur, Bald. con. 119. Verba dicuntur vol. i. qui ob id pertinere debet ad eum, qui ex natura contractus praestare habet casum fortuitum, Angelus consil. 176. praemittendum: Et sic in proposito casu ad locatorem, non ad conductorem referri debet hic casus violenti ingressus; ob quem etiam Supplicans, si virtute conductionis illam per se habitare cepisset, ex hac domo migrare poterat: etiam si publico edicto proclamatum esset, ne quis propter hospitacionem militum ex sua propria vel conductâ domo migrare posset. Eo enim sensu accipi debet hoc edictum; quod nemo migrare posset, ob solitam & consuetam hospitacionem militis: qualis est, quae cum moderatione fit, per manum & discretionem metatorum; non etiam illa, quae fit ex concussione, propria auctoritate, & temeritate immanitate militis. Nā aliter intelligendo huiusmodi edictum, censeretur debet illud esse ambitiosum, injustum, & quodam modo impossibile; ideoque minime servandum, l. Ambrosia de decret. ab ord. fac. & gid. Bosius in tract. de remiss. mercedis conduct. nu. 51. Si itaque Supplicans ingressus domum, potuisset, ut verè potuit, ex ea causa migrare; meliore certe non tantum occasione, sed etiam iure potuit illius ingressu de-

trectare. Ut enim turpius eijcitur, quam non admittitur hospes: ita quoque rectius hospitium fugit hic, quam deserit hospes: ut facilius impeditur nasci obligatio, quam nata tollitur, l. Pare furio de his qui sunt vel alien. iur. sunt. * Quae sane recalcitro & detrectatio ingrediendi & habitandi hanc domum, tantò est probabilior, imò iustior, quod dictus Supplicans Receptor bonorum ad confiscationem annotatorum, à quo hanc domum conduxit, testatò denunciaverit, hunc casum violentae occupationis: quae denunciatio illi omnino ad exonerationem pensionis, omniumque damnorum prodesse debet; cum etiam prodesset ad justificantem migrationem; si eandem domum Supplicans habitare cepisset, d. l. item quatuor §. exercitus. Quia locator huic violentae occupationi non resistit: hoc est tantum, non efficit apud eos, qui dictum Vexilliferum sua auctoritate ab hac insolentia repemere poterant, ut ab ingressu abstinere; siue locator id potuit, siue non potuit. Si enim potuit, ejus culpa hic casus adscribendus est, l. si quis domum, l. Ex conducto in princ. d. locati; si non potuit, eundem casum praestare debet; etiam si per non stet, quominus id praestet, l. si fundus in princ. d. cod. Id enim est in natura locationis & conductionis, quod locator facere debeat, ut conductor domo conductâ frui possit: & cum id non facit ex culpa & impotentia ad hoc saltem tenetur, ut conductorem liberet solutione mercedis, d. l. Ex conducto §. si vis in verb. omnem vim cui resisti non potest & in fine vers. fin. verò d. cod. tit. Cum aliqui dicto loc. non resistendi facultas non defuerit; praesertim illi assidentibus Dominis Consiliariis, admiq. lrationis annotatorum bonorum per Regiā Majestatem praepositis; qui de hac violenta occupatione ad Illustrissimum Ducem Parmensem suae Majestatis Vicarium referre, ac poenale mandatum adstinenti à tali violentia adversus dictum Vexilliferum impetrare poterant. Quod cum non fecerint, non tamen non potuisse, quam noluisse resistere, videntur, & sic se in culpa constituisse; ob quam non tantum de exoneratione à pensione, sed etiam de praestando Supplicanti, quanti sua interest, quod conductâ domo uti non potuerit, cogitari posset, d. l. si quis domum, d. l. si fundus vers. nam et si colonus.

Sed et si dici posset, quod hic casus insolitus non sit; sed satis vulgaris, non tantum in militari insolentia, quod vulgare militum (ut ait Cicero) vitium est: sed etiam immanitate; ideoque in expectatione bene ponendus & providendus: ob id tamen non deberet referri ad damnum ipsius conductoris, qui expresse in se non suscepit vel rei custodiam, vel casu periculi ex vi majore; sic quoddam communi natura contractus is non ad conductorem, sed ad locatorem referri debeat. * Id enim in tacita partium conventionione ponendum est, quod est ex communi natura contractus; quamdiu contra vel praeter illam inter contrahentes expresse pactum conventum non est, l. Contractus de reg. iur. l. Circa locationes C. de locato. Quia igitur in natura locationis hoc consistit, quod locator rei locatae usui seu patientiam utendi fruendi conductori praestare debeat, d. l. Ex conducto in princ. & per consequens omnem vim, etiam illam, cui resisti non potest, d. §. si vis sequitur ad damnum & incommodum locatoris referendam.

ferendam esse hanc impetuofam huius Vexilliferi occupationem; ad hoc saltem, ut pro sequente tempore Supplicanti remittatur tota pensio, *d. l. Ex conducto*. * Etsi enim Supplicans necessitatem hospitalitatis declinare non potuerit, id etiam verosimiliter tempore conductionis praevidere potuerit, imò debuerit, eo quod nihilo securior ab hoc munere seu onere futurus erat, quam erat in domo, quam inhabitabat tempore conductionis: id tamen praevidere non poterat, imò nec semel cogitare, quod aliquis Vexillifer, qui eo tempore designatum hospitium habebat, eo deserto in hanc domum sic temerè commigraturus esset, cum ampla familia; qualem secum trahere solent militum Capitanei, & Officiales; quique plerumque solent insulam facere hospitalitatem ex militari lascivia, dum seorta inducuntur, & pudicæ familiæ periculū pudicitie superinducitur; totaque ferè domus occupatur, patrefamilias in angulum domus sæpe detruso. * Quæ insula seu insula (ut Lucas de Penna legi vult, in *l. Hoc prospectum C. De metat. & epidem. lib. 12.* sed non rectè) hospitalio omnino prohibita & lege sublata est, *d. l. Hoc prospectum*. † Etsi enim in domibus multorum honestorum virorum lupanaria exerceantur per illorum conductores, *l. Ancillarum in fine De petit. hered.* id tamen si nolunt tolerare, non coguntur, *l. Non aliter De usu & habit.* sed ea ex causa conductorem expellere; ut ex vicinia expelli potest, quæ in eā meretricarum exercet. *DD. in l. Nullus C. De summa Trin. & fide Carol.* Atque ita cum ab hac insula, & infami hospitalione locator non poterit, nec etiam hodie possit liberare hanc domum (quæ causa est, quod nemo ad conducendum hanc domum accedat) non potest non dici, iustam, nedum probabilem esse causam, ob quam Supplicans illam habitare detrectat.

Nec ad iustificandam hanc huius Vexilliferi occupationem quicquam facere potest, quod (ut dicitur) ex consensu Magistratus Vexillifer in hac domo sit: nam initium huius occupationis factum non est ab hoc consensu, sed à vi, & violentia, nullā præcedente vel metatorum, vel Magistratus auctoritate; adhibito fabro ferrario, qui ei seras ostij referavit: ita quod postea accedens Magistratus consensus, magis involuntarius, quam voluntarius fuerit; prout plerumque hoc genus hominum ne Magistratum quidem reverteretur, & ab eo sæpe non concedenda extorquet. Ita quod cum Magistratus huic Vexillifero, cui aliud hospitium assignatum erat, in quo etiam longiore tempore se continuerat, quo minus hanc occuparet, resistere non potuerit; magis augeatur, quam diminuat vel excusetur consideratio maioris violentiæ & casus fortuiti, ob quem conductor à necessitate habitandi liberari, & à præstatione pensionis exonerari debeat. † Cum aliqui etiam huiusmodi Magistratus factum, præsertim cum irrationale est, per se pro casu fortuito per conductorem minime ferendo reputari debeat, saltem ad exonerationem à solutione pensionis, *l. Si fundus D. Locati, l. Lectus. De petiti. & commodo rei vend.*

Sed nec hoc ad hunc casum ad Supplicantem

transferendum quicquam facit, quod hic casus contigerit in mense Martio anno octuagesimo secundo, & sic decem mensibus post conductionem, quæ ex conventionione initium habebat mense Mayo anno octuagesimo primo, & sic eo tempore, quo Supplicans in mora erat, quoad habitationem; ita quod huic violentæ occupationi occasionem dedisse videatur, per hoc, quod domum tam diu vacuam reliquerit, quam avertere poterat, si illam tunc ipse inhabitasset: nam nulla potest hac in parte Supplicantis argui mora, saltem reprehensibilis; quem nulla juris necessitas constringebat ad hanc habitationem, per propriam suam personam in dicta domo faciendam: * cum in conductoris potestate sit, conductam domum alij vel locare, vel gratis concedere, *l. Nemo prohibetur C. De locato*: cum etiam eo nomine locator conductori teneatur, si per illum fiat quod minus conductor alij locare, vel gratis concedere possit, *l. Si tibi alienam cum l. seq. l. Cum in plures in princ. D. Locati*. Cum igitur Supplicans in hac domo ab initio, quo conductionis decurrere incipit, habuerit duos inquilinos; & horum inhabitatione non obstante Vexillifer in eam irruerit; ac præterea Supplicans usibus suis & domum per necessarias reparationes, & hortum per idoneam culturam adaptare inceperit, illam ingressurus, simul atque finita esset conductionis alterius domus, quam tunc conductam inhabitabat (nemo enim commodè duobus locis ex æquo habitare potest, *l. Si in lege §. si colonus vers. nam qui & expulsus D. Locati*) tantaque fuerit dicti Vexilliferi temeritas ac concussio, ut rebus integris per Supplicantem abs domo averti non potuerit; verosimile non est, quod propter personalem Supplicantis habitationem ab eo temerario conatu se averti passus fuisset.

Illud quoque ad intentionem fisci seu locatoris fundandam assumi non potest, quod Accursius ex sententia Azonis tradit, in *d. l. Nemo prohibetur*, facultatem, quam lex conductori permittit, ut possit rem conductam alij locare, sic restrictam esse, ut non possit alij locare aut gratis concedere, nisi æquè bono, & idoneo, & ad eundem usum; ideoque, ut scribit Odofredus in *d. l. Nemo*, si Legista conduxit domum, non posset illam locare artifice seu operario: nam id rei propositæ accommodari non potest; ob id, quod Supplicans hanc domum alijs non locaverit, nec simpliciter gratis concesserit; sed duos rusticos, qui propter pericula huius temporis ex agris in oppidum se transfulerant, ad custodiam huius domus posuerit, nè vacua irruptionibus aut effractionibus pateret: ita ut per hos Supplicans in effectu domum inhabitaverit; præsertim quia in eam suæ suppellectilis partem invehierit; seu intulerit, teoque modo potius ipse, quam hi rustici habitaverint; cum nihil interlit, an quis per se, an per alium quid faciat, *l. r. §. de iussu De vi & vi armata l. Ita autem §. gessisse De admin. tut. Ut ex usu plerumque contingit, quod & in proprijs, & in conductis ædibus, quas præfamilies alibi domicilium habens ex æquo habitare non potest collocentur coloni, actores, & ministri; qui non possunt semper, & per omnia, ejusdem qualitate esse*

esse cum eo, qui principalis, vel dominus, vel conductor est; per quos tamen tantumdem consequimur, quam per nos, l. fin. C. de acq. poss. §. Et in proposito æquè bonus seu idoneus est, qui eodem modo re conducta utitur, quo ipse principalis conductor. Nam idonea qualitas pro re subiecta variè accipitur; non semper pro eo, qui facultatibus sufficiens, locuples & solvendo est. Si vero §. qui pro rei D. Qui satisf. cog. l. 2. §. idoneus Ad S. C. Tertull. l. Patri §. si minor De minoribus, §. suspectus & novissimè Inst. De susp. tutor. sed sæpè quoad mores, l. Scire oportet cum reliquis D. De tutor. & curat. dat. ab his, fidem, l. Si quis stipulatus sit Stichum in fine De verb. obligat. diligentiam, l. Argentum D. Commodat. l. Si servus servum §. si fornicarius D. Ad leg. Aquil. peritiam, d. l. Si servus servum §. penult. Vbiq. adeo, ut etiam servus dici possit idoneus, cum de his causis queritur, d. l. Argentum; & multò magis liber homo, quamvis rusticus, si ad domum custodiam ponatur: cum plerumque qui diversis locis domicilia habent, & in alterum secedunt, servos & ministros diligentes ad custodiam illius, quam ad tempus deserunt, præponere soleant: ut contingit in servo insulatio, qui insulam, hoc est domum nomine domini custodit, l. Urbana De verb.

signif. §. Cum igitur quilibet præsumatur idoneus, qui idoneus non probatur, præsertim quoad mores & diligentiam, *Glos. in d. §. qui pro rei in verbis, dubitetur in fine Alciat. de præsumpt. reg. 3. cap. 3.* nihil hic est, quod Supplicantem ad culpam referri possit, quod ipse non inhabitaverit per se, sed per alios; quippe qui domo ad alium usum usi non sint, quam ipse Supplicans usus erat; qui etiam vacuam domum relinquere poterat, dummodo bene obfirmatam, l. cum domus D. Locati.

Vnde etiam intelligitur, Supplicantem non posse obijci, quod debitam custodiam domui non adhibuerit; quia ut illa non desideraretur, istos rusticos adhibuit, quorum nulla culpa arguitur, quique hanc Vexilliferi violentiam invasionem, seu casum fortuitum, nulla diligentia avertere potuerunt: nam adversus vim nulla custodia valet, l. Sed de damno D. Locati, l. Si ea res D. De act. empti: ideoque qui custodiam debet, vim maiorem aut casum fortuitum præstare non cogitur, l. Si cum venderet §. venit D. De pignor. act. l. In rebus D. Commodati. Proinde in defectu obligationis de in propria persona habitando, non potest constitui aliqua mora, propter dilatam commigrationem in hanc domum: mora enim nulla committi intelligitur, ubi nulla est obligatio, nulla petitio, l. si pupillus De verb. oblig. nec moræ adnumerandum est, quod optima ratione differtur, l. Scendum De usuris. Sic quod hac in re magis favendum sit dicto Supplicantem, de damno vitando certanti, quam iusto adventitio lucro incumbenti, lucrativamque causam prætexenti, argum. l. Non debet §. in re obscura De reg. iur. l. 1. & ibi Ioannes de Platea C. penus fiscal. cred. præfer. lib. 10. cui non minus quam cuiusque privato imputari potest ad liberationem conductoris à pensione, quod non fecerit, ut Supplicantem liceret uti frui domo conductâ, l. ult. vers. Ne sicut colonus D. De iure fisci.

De Locato & Conducto.

SUMMARIUM.

Remissio pensionis in conductione.

1. Sterilitas ob bellum quæ dicatur.
2. Testes sine commissione Iudicis examinati non probant.
3. Cautela superabundans non nocet.
4. Conductor qui re conductâ uti non potest, remissionem pensio.
5. 8. Remissio mercedis, quando fieri debeat.
6. Confessio superat omne genus probationis.
7. Confessio advocati, quando non noceat clienti.
9. Fructuum periculum, quomodo ad conductorem pertineat.
10. Locator conductori præstare debet, ut fructus plene percipere possit.
11. Remissio pensionis etiam obtinet in pascuis & pratis conductis.
12. Instramentum exhibens quando illius contenta approbare censetur.

CONSILIUM CCCXXX.

NON tantum ex testibus pro parte Ioannis Schoelmeesters hujus causæ Rei productis & examinatis; sed ex notoria etiam rei evidentia constat, quod mensis anni millesimi quingentesimi septuagesimi octavi in Pago de Kerekom, & tota vicina Oppidi Thenensis territorijque Oppidi Lovanienensis partim perierit, partim fieri non potuerit; propter exercitum Regiæ Majestatis in eadè vicinia tunc castra metantem, vicinamque locat omnia depopulantem: & quæ aliquo modo fieri carptim potuit, ex subsequuta hostili irruptione, impressione, depredatione paulò post ablata fuerit. Quod ipsi cum tam clarum, & manifestum sit, neminem ut in iisdem locis latere possit; & de eo etiam evidenter constat Domino Iudici, qui ex parte Collegij, cui præsidet, eundem periculi & depredationis casum pro eadem mense dicti anni septuagesimi octavi passus est, & æquo animo sine ulla mercedis exactiōe ferre debuit; sequitur quod periculi & casus hujus, in facto permanente, notorietas conjuncta cum testimonijs dictorum testium, plenam, & indubitatam probationem conficiat, l. Tu nos c. Vestra De cohab. cler. & mulier. Ant. De Butyrom tract. de notorio artic. 2. nu. 12. Ad hoc enim ut sterilitas anni propter bellum constituitur, sufficit communis hominum opinio, quod illo anno fructus colligi non potuerint, Bald. consil. 329. Casu talu nu. 2. vol. 1. De quo in proposito minor debet esse dubitatio, quod cessante etiam ista notorietate, dictorum testium testimonia ea in parte sint sufficientia; quod scilicet Henricus Balaerts prior maritus uxoris Rei, ex cuius persona & capite convenitur Reus, in mense anni septuagesimi octavi nullos fructus perceperit, nec percipere potuerit.

Adversus quæ testimonia, ad illorum nullitatem arguendam, nihil facere potest, quod Actor illis obijciat, receptos, & examinatos esse per M. Ioannem vanden Putte Notarium, quia Domino Iudice nullum mandatum, nullam.